

ordinem non intrent, vel à Nouiciatu retroce-
dāt, quia absolutè cōceditur absolutio in oēs
fideles pro confessionibus recurrētes ad Pro-
uinciales, & ad cæteros nominatos.

¶ Prouinciales Indiarum Ordinum Mendi- 5
cantium possunt absolvere fratres suos depu-
tatos conuersioni Indorū ab omni censura Ec-
clesiastica, etiā si sit de Cœna Dñi, & etiā in fo-
ro exteriori. Hoc priuilegiū concessit Adria-
nus. 6. anno. 1522. ad petitionem Imperatoris
Caroli. 5, Cæsar augustæ. Concesit etenim dic-
tis Prouincialibus quo ad fratres suos deputa-
tos conuersioni Indorum, omnimodam eius
auctoritatem in vtroq; foro.

¶ Aduerte quòd hoc priuilegium Adriani. 6
excedit priuilegiū Martini. 5. suprapositū fol.
121. in hoc q̄ concedit absolutionem à casi-
bus de Cœna Dñi, etiā in foro exteriori: illud
enim à Martino. 5. solum in foro conscientie
concedit Item illud Martini. 5. Prioribus etiā
Conuentualibus totius Orbis: istud Adriani
6. solum Prouincialibus Indiarum, & non His-
paniæ, nec Italiæ, &c. quia ibi non currit ratio
& causa quare hoc concessit Adrianus. 6. sci-
licet conuersio Indorū & fundatio fidei in hoc
Nouo Orbe.